



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, seu Institutio Sacerdotum, Ex Divinis Litteris Et Veterum Patrum Disciplina

**Torres, Alfonso de
Ingolstadii, 1604**

II. De grauibus peccatis Sacerdotum in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

CAPVT II.
DE GRAVIBVS PEC-
CATIS SACERDOTVM
IN GENERE.

SUMMARIVM.

PECCATVM Sacerdotis præponderat peccato
totius populi. 1.28.

Si Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?
2.5.

Aut qualiter pro populo intercedet, si deo gratus non
est? 30.48.49.50.

Sacerdotum mores corrumpuntur, ex eo quod commif-
centur inter gentes. 3.

Mali malos fructus faciunt. 54.

Et ideo damnantur. 49.

Et reddent rationem suæ negligentiae. 46.

Sunt inemendabiles. 52.

Et sunt contemptibiles omnibus. 26.27.

Et eorum lapsus difficile restituitur. 53.

Sacerdotum aliquorum præuaticatio, & corruptio tam
in moribus, quam in doctrina. 6.7.8.9.11.12.14.15.
16.17.19.20.23.41.

Prophetis Ierusalem egressa est pollutio, super om-
nem terram. 10.13.

Et à Sacerdotibus malis super sanctuariũ, & sacrifici-
um. 16.19.24.

Et timendum est populis, quibus præsunt mali Sacerdotes. 30.

Quia sunt in ruinam populorum. 13. 18. 21. 22. 30. 50.

Et suo prauo exemplo delinquit populus. 29. 35.

Qui si est indisciplinatus, indicat ibi Sacerdotium non esse sanum. 28.

Sacerdotes mali sunt, qui semper sciderunt Ecclesiam Dei, & seduxerunt populum. 43.

Et repellunt à suo ministerio Spiritum sanctum. 40.

Et detrimentum maximum afferunt. 38.

Et sunt similes aquæ baptismatis. 39.

Et qui sunt ex eis auari, & amici ventris, sunt idololatæ. 44.

Propterea odit Dominus sacrificia eorum & maledicit illis. 25. 26. 27.

Et timere debent exemplo Iudæ deterriti. 47.

Grauius est peccatum Sacerdotis, quam aliorum. 31. 32. 33. 34.

Vnde fit, vt nemo plus in Ecclesia noceat, quam malus Sacerdos. 35.

Neque plus Deum offendar. 36. 37.

Neque solum ille peccat indigne ministrans, sed quotquot illi communicant. 45.

Et est magna eorum confusio, laicos esse meliores illis, vel æquales. 51.

Qualiter autem meritum, vel crimen de Sacerdotio suo acquirant. 42.

Quibus quidem non tam letum est ascendisse, quam triste cadere. 46.

Mali Sacerdotis descriptio. 55.

Si Sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delin-
 quere faciens populum, offeret pro peccato
 suo vitulum immaculatum Domino, &c. Quod si
 omnis turba Israël ignorauerit, & per imperitiam
 fecerit quod contra mandatum Domini est, & po-
 stea intellexerit peccatum suum, offeret pro pec-
 cato suo vitulum. *Leu. 4. Vbi aduerte, æqui parari ex-*
piationem peccati Sacerdotis expiationi peccati totius
populi. S. Chrysost. Isychius.

Si Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo? *1. Re. 2*
2. ex translatione S. Gregorij. ibidem c. 3.

Commisti sunt inter gentes, & didicerunt ope-
 ra eorum: & seruierunt sculptilibus eorum: & fa-
 ctum est illis in scandalum. *Psal. 105.*

Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc vi-
 uerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ci-
 uitate quasi iustorum operum. *Eccl. 8.*

Quis miserebitur incantatori à serpente per-
 cussio, & omnibus, qui appropiant bestiis. *Eccl. 12.*

Argentum tuum versum est in scoriam: vinum
 tuum mistum est aqua. Principes tui, &c. *Isa. 1.*

Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vni-
 uersi: canes muti non valentes latrare, videntes
 vana, dormientes, & amantes somnia. Et canes
 impudentissimi nescierunt, &c. *Isa. 56.*

Stupor, & mirabilia facta sunt in terra. Prophe-
 tæ prophetabant mendacium, & Sacerdos applau-
 debant manibus suis: & populus meus dilexit ta-
 lia: quid igitur fiet in nouissimo eius? *Ierem. 5.*

A Propheta vsq; ad Sacerdotem cuncti faciunt
 men-

mendacium. Et sanabant contritionem filiarum populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax, cum non esset pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin immo confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suae corruent, dicit Dominus, &c. *Ierem. 8.*

10 A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram. *Ierem. 23.*

11 Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad penitentiam prouocarent. *Thren. 2.*

12 Quo modo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quo modo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? *Thren. 4.* *Aurum obscuratur, cum terrenis affectibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cum quorundam, qui religiose degere credebantur, aestimatio anteacta minuitur: Sanctuarij lapides in plateas disperguntur, cum causarum secularium foras lata itinera expetunt Sacerdotes, &c. S. Gregor in Pastoralibus, p. 2. c. 7.*

13 Non crediderunt Reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalém: propter peccata Prophetarum eius, & iniquitates Sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum. Errauerunt cæci in plateis, polluti sunt sanguine. *Thren. 4.*

14 Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum

ritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui Israël erant. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini. Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos. *Ezech. 13.*

Versa est mihi domus Israël in scoriam: omnes 15
illius, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt. *Ezech. 22.*

Sacerdotes eius contempserunt legem meam, 16
& polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam: & inter pollutum, & mundum non intellexerunt: & a sabbatis meis auerterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum. *Ezech. 22.*

Vt pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, 17
& c. *Ezech. 34.*

Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? in- 18
super & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Et oues meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant. *Ezech. 34.* *Aquam pedibus turbare, est sanctæ meditationis studia male viuendo corrumpere. S. Gregor. Pastor. p. I. c. 2.*

Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus 19
Israël: eo quod inducitis filios alienos incircūcisos corde, & incircumcisos carne, vt sint in sanctuario meo, & polluant domū meam: & offertis panes
meos,

meos, adipem, & sanguinem: & dissoluitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris. Et non seruastis præcepta sanctuarij mei, &c. *Ezech. 44.*

20 Erit sicut populus, sic Sacerdos: & visitabo super eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei. *Osea. 4.*

21 Audite hæc Sacerdotes, & attendite domus Israël, & domus Regis auscultate: quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum, &c. *Osea. 5.*

22 Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis: scitote Israël stultum Prophetam, infanum virum spiritualem, propter multitudinē iniquitatis tuæ, & multitudinem amentix. Speculator Ephraim cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, infania in domo Dei eius. Profunde peccauerunt, sicut, &c. *Osea. 9.*

23 Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordēt dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium, Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione: & occumbet Sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies, &c. *Mich. 3.*

24 Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum. *Malach. 1.*

Et

Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes: 25
 Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super
 cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus
 exercituum, mittam in vos egestatem, & maledi-
 cam benedictionibus vestris, & maledicam illis:
 quoniam non posuistis super cor. Ecce ego proj-
 ciam vobis brachium, & dispergam super vultum
 vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assu-
 met vos secum. *Malach. 2.*

Vos recessistis de via; & scandalizastis pluri- 26
 mos in lege: irritum fecistis pactum Leui, dicit
 Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi
 vos contemptibiles, & humiles omnibus populis,
 sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem
 in lege. *Ibidem.*

Si sal euauerit in quo salietur? ad nihilum va- 27
 let ultra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab
 hominibus. *Matth. 5.*

Peccatum Sacerdotis, totius populi pec-
 catum censetur: & vbi populus est in-
 disciplinatus, ibi Sacerdotium non est
 sanum.

Sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit 28
 membrum, non omnino languet & stomachus; si
 autem stomachus languerit omnia membra inue-
 niuntur infirma: sic, si aliquis Christianorum pec-
 cauerit, non omnino peccauit & Sacerdos; si au-
 tem & Sacerdotes fuerint in peccatis, totus popu-
 lus conuertitur ad peccandum. Ideo vnusquisque
 P Chri-

Christianorum pro suo peccato reddet rationem: Sacerdotes autem non solum pro suis, sed & pro omnium peccatis reddent rationem. Et, quemadmodum, cum videris arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem: ita, cum videris populum indiscipinatum, & irreligiosum, sine dubio cognosce, quia Sacerdotium eius non est sanum. *S. Chrysost. hom. 38. super Matt. Vide sup. cap. prox. à cap. Ante Prophetarum, num. 28. & p. 2. c. 7. § 1. de prædicatione, Peccatum, num. 54.*

Exemplo Sacerdotis delinquentis delinquit laicus.

29 *Mat. 18* **FINGE**, aliquem in Sacerdotali culmine, constitutum non bene viuere, & deturpare operibus dignitatem: Nonne imitatione vitiorum eius laicus frater corrumpitur? Nam & qui vnum de minimis scandalizauerit, mola collo alligata præcipitatur in profundum. Sorores quoque Ierusalem Sodomæ, & Samaria iustificantur, non quo per se iustæ sunt, sed comparatione peioris. *S. Hieron. super Ezech. c. 17.*

Timendum est populis, quibus præsumunt mali Sacerdotes, quia sunt illis in ruinam.

30 **VVLNERATO** pastore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis se hostilibus ferendum exponit? aut, qualem de se fructum produxit, cuius graui peste radix infecta est? *Mat. 18*

lor ego metuenda est locis illis calamitas, vbi tales
intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui
Dei in se magis iracundiam prouocant, quam per
semetipsos placare debuerant. *S. Gregor. lib. 7. epi-
stola. 114.*

**Gravius peccatum Sacerdotis, quam alio-
rum.**

EGRESSA est iniquitas à senioribus Iudicibus 31
tuis, Domine, qui videntur regere populum tu-
um. Non est iam dicere: Vt populus, sic Sacerdos.
quia, Nec sic populus, vt Sacerdos. Heu, heu, heu, *Osee 4.*
Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua
primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum dili-
gere, & regere principatum. *S. Bonau. l. 1. Phar. c. 21.*
ex S. Bernardo, quamuis alij ex S. Gregorio.

De eodem.

SICVT leuius est, de plano corruere; sic grauius 32
est, qui de sublimiori exciderit dignitate, &c. Ma-
gna sublimitas magnam habere debet cautelam,
&c. *S. Ambros. de dignitate Sacerdotali. c. 3.*

De eodem.

EBRIETAS in alio crimen est, in Sacerdote sacri- 33
legium. *Petrus Rauennas.*

De eodem.

ANTE Prophetarum tempora, nu. 28. cum seqq. 34
sup. c. proximo.

p

Nemo

Nemo plus nocet in Ecclesia, quam malus Sacerdos.

- 35 NEMO in Ecclesia plus nocet, quam qui peruerse agens nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere praesumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. *S. Gregor. pastor. parte 1. c. 2. dist. 83. c. eod. Idem hom. 17. in c. 10. Luca.*

Nemo plus offendit Deum, quam malus Sacerdos.

- 36 NULLVM puto maius praedudicium, quam à malis Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus; nulla animarum lucra quaerimus, ad nostra quotidie studia vacamus; terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus: & quia eo ipso, quo ceteris praelati sumus, ad agenda quaelibet maiorem licentiam habemus, susceptae benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. *S. Gregor. hom. 17. super Lucam.*

De eodem.

- 37 NIHIL est in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur: sed nihil apud

apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius,
&c. S. August. ep. 148. dist. 40. c. ante omnia.

De detrimento, quod afferunt mali Sacerdotes.

SICUT acetum dentibus, aut fumus contrarius 38
 est oculis: ita Sacerdos in Ecclesia prauus per ac-
 cinem peccati fidelium sensus obtendere facit, at-
 que erroris ignorantia oculos cordis eorum ab in-
 tuitu fidei, seu intellectu rectitudinis dum caligat,
 velut fumus excæcat, &c. Oculi quippe & dentes
 prædicatores sunt sanctæ Ecclesiæ, qui ei & recta
 itinera præuidere, & alimenta spiritualia sugge-
 rere solent, &c. *S. Hieron. super c. 12. Prouerb.*

**Malus Sacerdos similis est aquæ baptis-
 matis.**

CUI rei dixerim similes malos Sacerdotes, nisi 39
 aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum di-
 luens, illos ad regnum cæleste mittit, & ipsa in cloa-
 cas descendit? *S. Greg. hom. 17. super Lucam.*

**Sacerdos malus à suo ministerio repellit
 Spiritum sanctum.**

SACROSANCTA religio, quæ Catholicam con- 40
 tinet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vindi-
 cat, ut ad eam quilibet nisi pura conscientia non
 audeat peruenire. Nam, quomodo ad diuini my-
 sterij consecrationem cælestis spiritus inuocatus
 adueniet, si Sacerdos, & qui cum adesse deprecatur,
 criminosis plenus actionibus reprobatur? *Ge-
 lasius Papa l. 9. c. 1. c. eod.*

Sacerdos peccat per corruptionem doctrinæ, & per remissionem seueritatis,

- 41 PECCATVM Sacerdotis in duobus arguit Propheta: scilicet, in corruptione veritatis doctrinæ; *Isa. 1.* vnde dicit: Argentū tuum versum est in scoriam, &c. secundo, in remissione seueritatis disciplinæ, quæ significatur in vino. Hoc est enim vinum, quod infundit Samaritanus, quando dicit: Vinum tuum mistum est aqua. & Ezechiel: Væ quæ consuunt puluillos sub omni cubito manus: & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. *S. Thom. sup. c. 1. Isaie.*

Sacerdos de Sacerdotio suo qualiter meritum, vel crimen acquirat.

- 42 *Vide sup. c. 7. §. 1. de doctrina, Multisacerdotes, n. 75.*
Sacerdotes mali sunt, qui semper sciderunt Ecclesiam Dei & seduxerunt populum.

- 43 VETERES scrutans historias, inuenire non possum scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos, qui Sacerdotes à Deo positi fuerant, & Prophetæ, id est, speculatores. Isti ergo vertuntur in laqueum tortuosum, in omnibus locis ponentes scandalum. *S. Hieron. ad c. 3. Osee, 24. q. 3. Transferunt.*

Auari Sacerdotes, & amici ventris sunt idololatræ.

- 44 VÆ VÆ, in domo Dei horrendum videmus. Quid?

Quid? Idololatrias ministrantes. Mentior, si non idolorum seruitus auaritia est, si non quibusdam etiam venter suus factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cæteris colit id sibi Deum consti- *Phil. 3* tuisse perhibetur. *S. Bonau. in Phar. l. 1. c. 22. ex S. Bernardo.*

Non solum Sacerdotes mali peccant indigne ministrantes, sed quotquot illis communicant.

Non solum Sacerdotes, qui Sacramenta indi- *45* gne tractant, iram Dei super se prouocant, sed omnes, qui ipsis indigne celebrantibus quodam modo communicant, vel fauendo, vel negligendo, vel fouendo, vel permittendo cum oportet remedia adhibere, &c. *Ioan. Driedo de libertate Christiana l. 3. c. II. infra c. 12. ne sit fornicarius. c. 12. 13. 14.*

Rationem reddet Sacerdos de negligencia, quam habuerit circa subditorum salutem, cui quidem non tam lætum est ascendere, quam triste cadere.

GRANDIS dignitas Sacerdotum; sed grandis *46* ruina, si peccant. Lætetur ad asecensum, sed timeamus ad lapsum: Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mæroris de sublimioribus corruisse. Nec enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro oranium, quorum abutimur, donis, & nequaquam sumus de eorum salute solliciti. *S. Hieron. super Ezech. c. 2. Concil. Paris. c. 12.*

Timere debent Sacerdotes, deterriti exemplo Iudæ.

- 47 Si ipse Iudas Apostolatium perdidit, custodiant se Sacerdotes, & Episcopi, vt non & ipsi suum Sacerdotium perdant. *Idem S. Hieron. super Psal. 108.*

Qualis erit apud Deum intercessor, qui illi gratus non sit.

- 48 Si homo apud hominem, de quo minime præsumit, fieri intercessor erubescit, qua mente apud Dominum intercessoris locum pro populo accipit, qui familiarem se eius gratiæ per vitæ meritum nescit? aut ab eo quo modo aliis veniam postulat, qui, vtrum sibi sit placatus, ignorat? *S. Greg. in Pastor. p. I. c. II. dist. 61. c. non negamus.*

De eodem.

- 49 Quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitat, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? *Idem S. Gregor. I. Reg. 2. c. 3. ad morale interpretationem dist. 49. c. I. 3. q. 7. c. in grauius.*

De eodem.

- 50 CAUSÆ sunt ruinæ populi Sacerdotes mali. Quis enim se pro populi peccatis intercessor obijciat, si Sacerdos, qui orare debuerat, grauiora committat? *Idem S. Gregor. I. 9. ep. 64.*

Confusio Sacerdotum est, laicos esse iustiores illis, vel æquales.

- 51 VERE magna confusio Sacerdotū, & omnium cleri.

clericorum, quando laici inueniuntur fideliores
eis, & iustiores. Quo modo non sit confusio, esse
inferiores illos laicis, quos & æquales esse confu-
sio est? *S. Chysost. hom. 5. in Matth. Vide sup. c. proxi-
mo, Vehementer, n. 36.*

Clerici delinquētes inemendabiles sunt.

LAICI delinquentes facile emendantur; clerici 52
autem, si semel euaserint, inemendabiles fiunt.
Idem ibid.

Sacerdotis lapsus difficile restituitur.

S. Hieron. ad Heliodorum.

53

Sacerdos malus malos fructus facit.

*Vide sup. p. 2. c. 1. §. 1. de sanctita. Sacer. Docet per ea, 54
que sequuntur, n. 20.*

Mali Sacerdotis descriptio.

Nos Sacerdotes, præsentibus delectati, dum in 55
hac vita commoda nostra, & honores inquiri-
mus, non ut meliores, sed ut ditiores; nec ut san-
ctiores, sed ut honoratiores simus cæteris, festina-
mus in gregem Domini, qui nobis pascendus, tu-
endusque commissus est; sed nostras voluntates,
dominationem, diuitias, & cætera blandimenta
carnaliter cogitamus, & c. *S. Prosper de vita contem-
plat. l. 1. c. 21. ubi late describitur lucltuosa vita Sacer-
dotis carnaliter viuentis.*

**PVNITIONES aliquas prauorum Sacerdotum in
Scripturis sanctis inter alias multas, quas referunt
Sancti patres, profanique Scriptores, vide Numerorum**

p 5

c. 16.

6.16.1.1. Reg.c.2. & 3.1.2. Reg.c.2. Isa.c.3. Ierem.c.2.8.
 Osee.4.5. Malach.1.2.1. Machab.7.9. Apoc.2. Alia de
 hac materia vide sup. p.2.c.7.§.1. de predic. & doctri.

CAPVT III.
 DE REBVS SACER.
 DOTI PROHIBITIS
 IN GENERE.

SVMMARIVM.



SACERDOS debet veterem hominem exuere
 & induere nouum.1.

Et non vacare negotiis secularibus.2.3.

Quæ autem sint illa negotia.5.

Quædam sunt Sacerdotibus prohibita, quæ sunt Epi-
 scopis concessa.3.

Quædam illis, & Episcopis.4.5.

Quædam exercitia manualia Sacerdotibus interdicta.6
 Sacerdos inferior non benedicit, maiore Sacerdote non
 annuente.7.

Sacerdos cum secularibus non habitat sine licentia sui
 Episcopi 8.

Chorepiscopi qui sint.3.

Formata Epistola quid sit.3.

Pacifica. ibidem.

NVNC autem deponite & vos omnia: iram, in-
 dignationem, malitiam, blasphemiam, de
 ore vestro, expoliantes vos veterem hominem, &
 induentes nouum eum, qui renouatur in agni-
 tione